



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Beatiss. Patri Et D. D. Gregorio XIII. Pont. Max. Franciscvs Pegna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

BEATISS. PATRI ET D.
D. GREGORIO XIII.

PONT. MAX.

FRANCISCVS PEGNA.



VM Reipub. Christianæ pij principes terra mariq; prepo-
tentes multo militû fuso sanguine Catholicę religionis ho-
stes aperto Marte fortiter debellare cõtendüt, vt Ecclesię
vnitatem, Sedis Apostolicę auctoritatem, tuamq; Beatissi-
me Pater potestatem ab eorû audacibus, impijsq; conati-
bus tueantur, non desunt qui in otio et pace, intra priuatos
parietes eorundem sacre religionis violatorû nefarias, & verę pietati aduer-
sas opiniones scribendo refellant, iura legesq; vel ad conuertendos, vel ad coer-
cendos eos arment, edoceant, aut interpretentur: vt cum se tam eminens quã
cominus vrgeri reprimiq; viderint, postquam virtutis amore in officio non
continentur, saltem pęnarum acerbitate, & magnitudine supplicij à malefi-
cio submoueantur. Inter hos postremos, etsi infimum locum & ingenij acu-
mine, & eruditionis splendore obtineã, omnia tamẽ conor libentissime, quę
ad reprimendam impiam hereticorum audaciam, coercendamq; immanem
prauitatem commodissima aptissimaq; esse videntur: quod testabuntur fide-
liter, vt spero, aliquando nonnulla mea, quę de pęnis hereticorû ab exordio
nascentis Ecclesię vsq; ad hæc tempora assidue meditator: testaturq; nunc ex
parte ille qualiscunque labor, quem superioribus annis lubens suscepi; dũ om-
ne meum studium industriamq; conuerti ad illustrandum Nicolai Eymeri-
ci Directorium Inquisitorum: præclarum sanẽ & vetustate veneradum opus,
in quo summa religionis capita continentur, & quę ad hæreticam iniquita-
tẽ coercendam, & extirpandam conducunt, piẽ, & eruditẽ præscribuntur, &
quidquid ad sacrum Inquisitionis officium securẽ exercendum exigitur, arti-
ficiosẽ ac methodicẽ demonstratur: quod cum omnibus numeris absolutum
Romę esset excussum, id eo potissimum nomine Beatitudini tuę dicare pla-
cuit, vt is auctor, qui religionem Christianam tuetur, & hæreticos fortiter de-
bellare atque coercere demonstrat, à Sanctitate tua, qui in Republica Chri-
stiana diuinitus es caput constitutus, benigne receptus, à tot inimicorum ca-
teruis defendatur, vt catholicę fidei negotijs non leuem afferat vtilitatem:
quod certissime futurũ spero, cum nemo ignoret Beatissime Pater te, etsi mo-
le multorum, & magnorum totius Reipublicę Christianę negotiorû distri-
ctum; illud tamen singulari prouidentia quod ad fidem attinet, vigilatissime
curare, eoq; præcipuẽ curam, & sollicitudinem omnem referre, vt causę reli-
gionis integrę, absque nouarum opinionum procellis cõseruentur, incorru-
ptaq; & inuiolata fides vbiq; foueatur ac propagetur: quod vsq; amplius,
Deum Optimum Max. cuius negotia in Ecclesia sua prudentissime, & arden-
tissime tractas, precor, vt Beatitudinem vestram diu conseruet incolumem.